



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. I. Duplici conclusione difficultas resolvitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

vices alienius causæ creatæ, sed gerit munus A  
causæ primæ, & motoris generalis.

31. Objicies tertio, & simul instabis contra  
precedentem solutionem. Homo potest peccare  
in primo instanti usus rationis: Ergo non  
moveretur specialiter à Deo ad primam intentionem  
finis, quam elicit initio vitæ moralis. Consequen-  
tia patet, aliàs peccatum refundere-  
tur in Deum; hac enim ratione probant Tho-  
mistæ cum S. Doctore 1. p. quæst. 63. art. 5. An-  
gelos non potuisse peccare in primo instanti  
creationis, quia cum Deus specialiter moveat  
ad primam operationem, peccatum Deo ut  
authori aut motori speciali tribueretur. Antec-  
edens verò probatur ex D. Thoma infra quæst.  
89. art. 6. ubi docet peccatum originale nus-  
quam posse cum solo veniali reperiri: quia si  
homo in primo instanti usus rationis conver-  
tatur in Deum, justificabitur à peccato origi-  
nali; si verò non convertatur, peccabit mortali-  
ter; primum enim quod occurrit homini at-  
tingenti usum rationis, est bene disponere de se-  
ipso.

32. Respondeo, distinguendo Antecedens: ho-  
mo potest peccare in primo instanti usus ratio-  
nis, si intelligatur de primo instanti initiativo  
attingenti usus rationis, nego Antecedens: si de  
terminativo, concedo Antecedens, & nego  
Consequentiam.

Explicatio solutio: Homo non incipit attingere  
usum rationis in unico instanti physico,  
sed in aliqua morula temporis, longiori aut bre-  
viori, secundum quod fuerit subtilioris aut rari-  
dioris ingenii: cujus ratio est, quia non attingit  
usum rationis, nisi per discursum formalem,  
procedendo de cognitione confusa & in com-  
muni ad distinctam & quia omnis temporis  
morula terminatur duobus instantibus, & ab  
uno eorum incipit per ultimum non esse, in  
alio verò consummatum sive compleitur per pri-  
mum non esse, cum dicitur hominem posse pec-  
care in primo instanti usus rationis, hoc non  
debet intelligi de primo instanti illius morulæ,  
quod dicitur instans initiativum attingenti  
usus rationis (in eo enim homo se habet sicut  
Angelus in instanti creationis, quia ejus intel-  
lectus applicatur à Deo ad primum dictamen  
rectum, ex quo infallibiliter sequitur primus  
actus rectus voluntatis) sed de alio instanti ter-  
minativo illius; quia cum tunc voluntas sup-  
ponatur in actu per actum quem ex speciali  
Dei motione elicit, potest per consilium &  
deliberationem se applicare ad illud quod  
voluerit, & consequenter peccare, convertendo  
sed ad bonum utile vel delectabile dissonum rati-  
oni: sicut Angelus in secundo instanti crea-  
tionis peccare potuit, & de facto peccavit, in-  
ordinatè appetendo propriam excellentiam;  
quia tunc plenè potuit deliberare & se  
movere.



## DISPUTATIO VI.

De Modo quo voluntas movetur.

Ad quæstionem 10. Divi Thomæ.

**D**uo sunt tantum principia interna à qui-  
bus voluntas movetur, intellectus scilicet  
& appetitus, ut constat ex supra dictis;  
& unum extrinsecum, nempe Deus, qui  
cum solus sit author voluntatis creatæ, & bo-  
num universale. Nus eam movere ac intrinsecè  
immutare potest, ut docet S. Thomas quæst.  
1. art. 6. unde ut plenè & perfectè modum  
quo voluntas movetur explicemus, declaran-  
dum est, quomodo à tribus illis principis mo-  
veatur?

### ARTICULUS I.

*Utrum intellectus per propositionem objecti mo-  
veat voluntatem in genere causæ efficientis?*

**A**ffirmant Cajetanus, Conradus, Medina,  
& alii ex nostris Thomistis: negant verò  
Capreolus, Ferrariensis, Bannez, & alii.

#### § I.

*Duplici conclusione difficultas resolvitur.*

**D**ico primò: Objectum apprehensum, aut  
intellectus per apprehensionem objecti,  
non movet propriè physice seu affectivè volun-  
tatem.

Probatum primò ex D. Thoma hic quæst. 9. 1.  
art. 1. ubi dicit: *Objectum movere, determinat  
actum ad modum principii formalis.* Ex istis con-  
Gentes cap. 72. *Intellectus non secundum modum  
causæ efficientis & moventis, sed secundum modum  
causæ finalis movet voluntatem, proponendo ei suum  
objectum, quod est finis.* Item 1. p. quæst. 82. art. 4. hic  
ait: *Aliquid dicitur movere dupliciter; uno modo per  
modum finis... & hoc modo intellectus movet volun-  
tatem... alio modo per modum agentis, sicut alterius  
moveret alteratum, & impellens moveret impulsam; & hoc  
modo voluntas movet intellectum, & omnes anime vi-  
res.* Ergo ex D. Thoma intellectus, seu objectum  
cognitum, non movet voluntatem in genere  
causæ efficientis, sed solum in genere causæ fi-  
nalis & formalis extrinsecæ.

Respondent Cajetanus & Conradus, D. 1.  
Thomam solum velle quòd objectum ut cogni-  
tum non sit causa efficiens ut quòd volitionis,  
sicut voluntas est causa efficiens ut quòd intel-  
lectionis, quatenus applicat intellectum ad in-  
telligendum; non tamen negare quòd sit cau-  
sa efficiens ut quo, tanquam ratio agendi, ul-  
timò complens & determinans voluntatem ad  
producendam volitionem, quantum ad ratio-  
nem specificam; quòd postèrius ipsi solum in-  
tendunt.

Sed contra: D. Thomam 1. p. quæst. 27. art. 4.  
docet intellectum ex se non esse constitutum in  
actu primo, idè què indiget aliquo extrinse-  
co, nempe specie, quæ complicatur, & in actu  
primo

primo constituitur; voluntatem verò ex se ipsa esse in actu primo ad volendum, nec egere aliquo extrinseco: Ergo juxta D. Thomam, objectum non solum non est causa efficiens ut quod respectu volitionis, sed nec etiam ratio agendi, & principium quo simul cum voluntate ad volitionem concurrere, ut magis patebit ex dicendis in ultima probatione.

Adde quod, si objectum cognitum concurreret ad volitionem ut principium quò, & ratio agendi, intellectus ad illam concurreret ut principium quò, eo modo quo voluntas applicando intellectum concurrere ad intellectionem: Sed D. Thomas locis citatis negat intellectum concurrere ad volitionem effectivè, sicut voluntas concurrere ad intellectionem. Ergo sentit objectum cognitum non concurrere ad volitionem ut rationem agendi, & principium effectivum ut quo.

Probat secundò conclusio ratione: Duæ potentia non possunt se invicem movere in eodem genere causæ; sic enim essent simul causæ & causatum, priores & posteriores in eodem genere causæ, quod repugnat: Sed voluntas est principium movens efficienter intellectum, cum ipsum applicet ad agendum, ut vidimus dispositione præcedenti: Ergo intellectus non potest movere voluntatem in genere causæ efficientis, sed solum in genere causæ formalis & finalis. Unde D. Thomas 1. p. quæst. 82. art. 4. objicit sibi secundo loco: *Movens non movetur à moto, nisi forte per accidens: Sed intellectus movet voluntatem. Ergo non movetur à voluntate.* Cui argumento respondet, quod intellectus alio modo movet voluntatem, quam voluntas intellectum, ut jam diximus esse in corpore scilicet articuli, ubi (ut supra vidimus) docet intellectum movere voluntatem per modum finis, quia movet ostendendo ei bonum, quod eam allicit ad sui amorem; voluntatem verò intellectum movere per modum agentis & impellentis, quia ipsum applicat ad agendum.

Respondent aliqui, nullam esse repugnantiam quod voluntas & intellectus se moveant ad invicem in eodem genere causæ efficientis, quia se diversimodè movent; nam intellectus movet efficienter voluntatem, quantum ad specificationem; voluntas autem movet intellectum, quoad exercitium.

Sed præterquam quod hæc responsio non est conformis menti S. Doctoris, qui ut ostendimus, ab hac difficultate non aliter se expedit, quam recurrendo ad diversa genera motionis & causalitatis, facile potest confutari. Impossibile enim est quod idem respectu ejusdem, etiam secundum diversas rationes, simul sit causæ & effectus in eodem genere causæ verè efficientis: Ergo repugnat quod intellectus & voluntas se moveant ad invicem in genere causæ efficientis, quamvis intellectus moveat quoad specificationem, & voluntas quantum ad exercitium. Consequentia patet, Antecedens probatur. Causa efficiens, in quantum hujusmodi, est simpliciter prior quam ejus effectus, quia unumquodque operatur in quantum est actu: Ergo esse ejusdem causæ efficientis nullo modo potest à suo effectu produci aut pendere in genere causæ efficientis; quod enim jam est in suo esse constitutum, non potest efficienter ab alio produci, aliàs bis produceretur, quod non est possibile.

Tom. III.

A Tertiò suadet conclusio: Appetitus naturalis lapidis v. g. fertur in suum finem, id est in centrum, sine hoc quòd centrum moveat effectivè lapidem, sed effectivè movetur à suo generante ut principio quò, à gravitate autem ut principio quo instrumentali: Ergo similiter appetitus elicitus non movebitur à fine & objecto efficienter, sed finaliter & specificativè; in hoc enim non apparet discrimen inter appetitum elicitum & naturalem.

Denique probati potest conclusio ratione fundamentali. Si objectum cognitum simul cum voluntate effectivè ad volitionem concurreret, maxime in ratione principii quò, seu ut ratio agendi, sicut species intelligibilis simul cum intellectu concurrere ad intellectionem: Sed non potest concurrere per modum principii quò ad actus voluntatis: Ergo non concurrere effectivè ad volitionem. Major est principium fundamentum ad verè sententia. Minor autem sic ostenditur: Principium quò seu ratio agendi est intrinseca potentia seu agenti, ut inductione patet; nam calor qui est principium quò calefaciendi, est intrinsecus igni; potentia generativa generanti; & species impressa, quæ est principium quò intellectionis, in intellectu recipitur: Atqui objectum cognitum non afficit intrinsecè voluntatem, nec in ea recipitur, sed in intellectu, mediante specie intelligibili: Ergo non potest concurrere per modum principii quò ad volitionem, sed solum ad intellectionem, & productionem verbi.

Confirmatur: Illud est ratio agendi, cui terminus per actionem productus assimilatur: Sed terminus productus per intellectionem, scilicet verbum, assimilatur objecto, cum sit ejus similitudo formalis; terminus autem productus per volitionem, non assimilatur objecto, sed magis ipsi voluntati; cum ille nihil aliud sit quam impulsus & inclinatio actualis in objectum, sicut voluntas est inclinatio in actu primo: Ergo objectum est ratio agendi respectu intellectus, non autem respectu voluntatis.

D Respondent Adversarii, objectum cognitum, etiam si non afficiat intrinsecè voluntatem, nec in ea subiectetur, posse efficienter concurrere ad ejus actus, per modum principii quò, & illi esse rationem agendi; quia non requiritur formam & rationem agendi, esse conjunctam cum potentia operativa, dummodo sit in eadem essentia animæ.

Sed contra: Non solum principium radicale & remotum debet intrinsecè compleri, sed etiam proximum, quando est impotens & incompletum in actu primo; propterea siquidem non solum datur gratia in anima, sed etiam habitus supernaturales in intellectu & voluntate ponuntur, ut possint elicere actus supernaturales: Sed voluntas est impotens ad operandum, seu ad attingendum rationem specificam suæ operationis; completur verò per objectum, ut voluntas Adversarii: Ergo objectum debet esse extrinsecum voluntati, & non solum essentia animæ.

Confirmatur: Quod est impotens, non potest fieri potens, nisi intrinsecè mutetur; quia denominatio potentis est intrinseca, uide necessario debet peti à forma intrinseca: ex quo principio probant communiter Thomistæ necessitatem præmotionis ad operandum, luminis gloriæ ad videndum Deum, motionis in instrumento ad effectum causæ principalis producendum.

T 2 dum:

dum: Ergo si voluntas de se sit impotens ad attingendam rationem specificam suarum operationum, ut fiat intrinsecè potens, debet intrinsecè mutari, & per consequens id quod est illi ratio agendi, debet ipsi esse intrinsecum, & in ea immediatè recipi, & non solum remotè & mediatè.

12. Dixi autem, in conclusione, intellectum non movere propriè physicè voluntatem, seu vera & reali efficientia physica, quia cum hoc stat quòd aliquo modo dicatur eam activè movere: sicut enim rationem causam materialis non solum habet id quod aliquid in se recipit, sed etiam illud omne quod per modum conditionis aut dispositionis conducit ad receptionem; ita etiam non solum quod per veram actionem influit in aliquem effectum, habet rationem causæ efficientis; sed etiam quicquid ad efficiendum conducit per modum conditionis, vel dispositionis, aut huiusmodi, ad eisdem genus causæ reducitur: & sic non mirum si actum intellectus proponentem objectum voluntati, & media objecti propositione eam ad speciem actus determinantem, asseramus esse quodammodo principium activum actus voluntatis; quia licet per veram actionem in eam non influat, conducit tamen ad hoc ut eliciatur à voluntate.

13. Dico secundò: Objectum apprehensum, aut intellectum, per apprehensionem objecti, movere voluntatem in genere causæ finalis, & formalis extrinsecæ. Ita D. Thomas locis suprà relatis, & alii Theologi communiter.

Probatur prima pars: Objectum propositum movet voluntatem, in quantum est bonum: Ergo in eo genere causæ movet, in quo bonitas potest movere: Sed bonitas movet in genere causæ finalis, alliciendo appetitum ad sui amorem & desiderium: Ergo & objectum apprehensum.

Secunda etiam pars suadetur: Cum voluntas ex se sit indifferens & indeterminata ad eliciendum actum huius vel illius speciei, v.g. actum amoris vel odii, fugæ vel desiderii; ut hunc potius quàm illum producat, indiget aliquâ formâ quâ extrinsecè determinetur: Sed talis forma extrinsecæ, nulla alia esse potest, quàm objectum propositum ab intellectu: Ergo objectum cognitum movet & determinat voluntatem in genere causæ formalis extrinsecæ. Unde Divus Thomas in 1.ª quæst. 18. art. 2. ad 2. sic ait: *Objectum non est materia ex qua, sed materia circa quam; & habet quodammodo rationem formæ, in quantum dat speciem.*

## §. II.

### Solvuntur objectiones.

14. **C**ontra primam conclusionem objici solent plura S. Doctoris testimonia, quibus videtur asserere objectum cognitum activè influere in volitionem: Nam in 1.ª quæst. 22. art. 3. ad 2. ait: *Objectum appetitus intellectivi esse magis activum, quàm objectum appetitus sensitivi.* Et in 1.ª quæst. 82. art. 3. ad 2. *Intellectus est prior voluntate, sicut motivum mobili & activum passivo; bonum enim intellectum movet voluntatem.* Et quæst. 80. art. 2. dicit, *Potentiam appetitivam esse potentiam passivam, quæ nata est moveri ab objecto apprehenso.* His addi potest celebre illud Commentatoris effatum 3. de anima textu 55. quòd asserit balneum extra ani-

**A** tam movere vires sensitivas (visum scilicet & tactum) sed balneum intra animam, esse agens desiderium.

Pro hujus argumenti solutione advertendum est, quòd quamvis activum & agere propriè & strictè dicantur solum de causa efficiente, tamen sæpè confunduntur cum aliis causis, & quælibet causa dicitur agere suo modo; ut notavit S. Thomas quæst. 22. de verit. art. 12. & 1.ª p. quæst. 48. art. 1. ad 4. ubi ait, quòd agere tribus modis accipi potest, primò formaliter, ut cum albedo facit album; secundò efficienter, ut cum pictor facit tabellam; tertio finaliter, sicut finis dicitur efficere, movendo efficientem.

**B** Cui ergo D. Thomas asserit bonum apprehensum esse activum respectu voluntatis, & Commentator, ait balneum intra animam esse agens desiderium, loquuntur in hac ampla significatione, quæ agere vel activum dicitur de quolibet genere causæ, & intelligi debent de causalitate activa lato modo sumpta, & prout comprehendit motionem finalem & formalem extrinsecam, aut de efficientia morali. Similiter cum S. Doctor appellat voluntatem potentiam passivam, quæ nata est moveri ab objecto, loquuntur de passione metaphorica, correspondente causalitati finis, quæ dicitur actio seu motus metaphorica. Unde quæst. 22. de veritate art. 12. tertio loco sibi objicit: *Omnia potentia passiva movetur à suo objecto: Sed voluntas est potentia passiva, est enim appetitus movens motum, ut dicitur 7. de anima: Ergo movetur à suo objecto; sed objectum eius est bonum intellectum: ergo intellectus movet voluntatem.* Cui argumento respondet, quòd ratio illa ostendit quòd intellectus movet per modum finis; hoc enim modo se habet bonum apprehensum ad voluntatem.

**C** Objicies secundò: Verbum in Divinis influit activè propriè in amorem, nam Spiritus sanctus procedit activè à Filio secundum fidem; unde D. Thomas 1.ª p. quæst. 43. art. 5. ad 2. *Filium est verbum, non qualescumque, sed spirans amorem:* Ergo etiam in nobis verbum seu conceptio intellectus effectivè spirat amorem in voluntate. Consequentia probatur: Tum quia Theologi 1.ª p. quæst. 36. art. 2. ex eo probant cum S. Thomas, Spiritum sanctum procedere à Filio, quia est de ratione amoris ut sic, activè procedere à Verbo: Tum etiam, quia Verbum Divinum est per se subsistens, creatum verò est accidens: subsistentia autem addita causæ, non variat genus causalitatis, quamvis variat causandi modum; nam si calor subsisteret sine limitativo, nihilominus activè calefaceret, uti modò, quamvis tunc operaretur ut quòd, ex eo quòd esset subsistens, nunc verò solum sit agens ut quò: Ergo si Verbum in Divinis activè influit ut principium quòd in amorem, debet etiam in creatis activè in eum influere, saltem ut principium quòd.

**E** Respondeo concessio Antecedente, negando 1.ª Consequentiam: nam quia de ratione amoris est quodammodo activè, saltem lato modo, procedere à verbo, ut suprà diximus, Verbum Divinum elevans omnes condiciones verbo ad esse perfectissimum, ex eo quòd sit subsistens & infinitum, habet activè influere propriè & ut quòd in amorem. Ex quo patet ad ultimam probationem: infinitas namque & subsistentia non variant genus causæ quòd convenit verbo, sed illud elevat ad summum perfectionis gradum.